

QUÆSTIO SEPTUAGESIMA TERTIA.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ

SECUNDUM SE.

PROCEMIUM MATERIÆ DE EUCHARISTIA.

Eucharistia consummatio et perfectio aliorum sacramentorum. — Eucharistia in disputatione sicut in usu sacramentorum tertium locum habet. — Quidam alias ob causas, diversum locum huic sacramento in disputat. tribuunt. — Hæc est quarta ac præcipua hujus libri pars, in qua disserendum nobis est de Eucharistiæ sacramento, quod, ut Dionysius dixit cap. 3 de Ecclesiast. Hierarch., consummatio ac perfectio est sacramentorum omnium, quoniam non solum signum est et causa gratiæ hominibus conferendæ, sed ipsum etiam fontem et auctorem gratiæ in se continet, sub speciebus panis et vini latentem, ut ineffabili quodam modo nobiscum uniatur, et usque ad societatem germanissimam nos sibi conjungat, ut Cyprianus dixit de Cæna Domini; idem enim Unigenitus Dei, qui humanam naturam ineffabiliter sibi conjunxit, ut per seipsum salutem hominum operaretur, ut tanti mysterii eosdem, quoad fieri posset, participes faceret, seipsum in animæ ac corporis mirificam escam ac refectionem donare non est dedignatus; opus enim gratiæ, ut significavit Damascenus, lib. 4, cap. 14, quod per regenerationis lavacrum in nobis inchoat, et per confirmationis sacramentum perficit, per seipsum conservat, fovet, nutrit, et usque ad ultimam perfectionem hoc admirabili cibo perducit. Ob hanc enim causam, ait Gregorius Nyssenus in cap. 3 Ecclesiast., in escam se nobis proponit is, qui semper est, ut accipientes illum in nobis, id efficiamur, quod ipse est; caro siquidem Verbi, quæ in hoc cibo inest, non unam aliquam gratiam habet, quin potius dulcis efficitur gustantibus, appetenda capientibus et diligentibus amabilis. Igitur, sive majestatem Christi in hoc sacramento existentis, sive admirabilem modum et infi-

nita miracula, quæ in perficiendo hoc mysterio interveniunt, sive fructus et utilitates ejus consideres, tantum inter cætera sacramenta præstat, ut in illud solum intuens Zacharias dixerit: *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* tantum enim hoc bonum inter cætera eminet, ut comparatione ejus pene nihil esse videantur. At vero, quamvis sacramentum hoc dignitate et excellentia primum omnium sit, in disputatione tamen de sacramentorum eundem gradum quia in usu sacramentorum eundem gradum seu ordinem tenet. Ut enim supra, inter disputandum de sacramentis in genere, et de sacramento confirmationis, dixi, tria sunt sacramenta, quibus per se initiantur et sanctificantur fideles, baptismus, confirmatio, Eucharistia; quæ, ut antiqua Ecclesiæ consuetudine observatum est, eo, quo numerata sunt, ordine a fidelibus suscipiebantur; spiritalis enim regeneratio, quæ per baptismum fit, absque ulla controversia, reliqua sacramenta debet antecedere; postquam confirmatio succedit, quæ hominem in statu quasi virili et perfecto constituit, ut tandem capax sit Eucharistiæ, quæ cibus perfectorum est, et spiritualem vitam nutrit, et consummat. Unde in sacramentis enumerandis hunc ordinem servarunt Concilia, Florentinum in instructione Armenorum; et Tridentinum, a sess. 7 usque ad 13; et eundem in eorum disputatione tenuerunt Cyrill. Hierosol. in Catechesibus, præsertim in Mystagogicis, et Ambrosius in lib. de Sacramentis, ut ex lib. 3, c. 2, colligitur, et libro de Iis qui initiantur mysteriis, c. 7 et 8, et alii, quos supra citatis locis recensui. Solus inter recentiores Waldens., t. 2 de Sacramentis, ab hoc sacramento initium suæ disputationis sumpsit, vel ordinem dignitatis attendens, vel, quod verius

est, necessitate coactus, ut Wiclefo hæretico juxta stultitiam suam responderet, ut ex eodem colligitur, cap. 96 ejusdem libri. Ex antiquis vero Dionysius in lib. de Ecclesiast. Hierarchia, prius de Eucharistia, quam de confirmatione disseruit; nam cum cap. 3, agat de Eucharistia, 4 cap. de confirmatione tractat. Et, licet in 1 et 2 parte quarti capituli de confectione chrismatis, et de ejus usu in ordine ad alios effectus disputet, in ultima tamen parte capituli de sacramento confirmationis expresse tractat, ut constat ex illis verbis: *Idcirco et sacræ regenerationis perficiens donum et gratia unguenti sacratissima consummatione perficitur; sed expressius paulo infra in illis verbis: Sed et ipsi, qui sacratissimo regenerationis mysterio consecratur, adventum Sancti Spiritus consummans inunctio largitur unguenti, sub significante (quantum arbitror) sacræ descriptione signorum, ab ipso, qui propter nos in assumpta carne divino Spiritu sanctificatus est, immutabili substantialis Dei habitu Sanctissimum Spiritum dari.* Dionysium secutum est Concilium Senonense, decreto 10; sed Dionysius non consideravit sacramenta secundum se, nec in ordine ad usum, sed quatenus ad Hierarchicum ordinem pertinere possunt; et ideo prius de sacramentis, quæ a presbyteris, deinde de iis, quæ a solis Episcopis ministrantur, disseruit, ut D. Thomas, Albert. Magn., Dionysius Carthus., et alii Dionysii expositores adnotarunt. Et ob similem fortasse causam, prædictum Senonense Concilium doctrinam de sacramento Ordinis, prius quam de Eucharistia vel confirmatione tradit, ut nimirum consecrationem ministrorum, eorumque potestatem prius quam cætera sacramenta, quæ ab illa procedunt, explicaret. Aliter vero ad Dionysium respondet D. Thom. supra, quæst. 63, art. 2, ad 3, et in 4, dist. 2, quæst. 1, art. 3, ad 6, cibum posse perfectum augmentum, et antecedere et subsequi; et ideo tractationem de Eucharistia posse commode ante, vel post materiam de confirmatione tradi. Concilium vero Coloniense prius de poenitentia, quam de Eucharistia disputat, quia in frequentiori usu Ecclesiæ poenitentia solet præcedere. Nihilominus tamen quia hoc est per accidens, prior vero ordo est per se, ideo Hugo Victor., lib. 2 de Sacrament.; Magister, in 4, dist. 8; Alexand. Alens., 4 part., quæst. 10, alias 33; D. Thom. et cæteri Theologi priores Patres imitati sunt, tertio loco de Eucharistiæ sacramento post baptismum et confirmationem

disputantes, quod omnes etiam recentiores observant, qui de sacramentis contra Lutheranos scribunt, Richard., art. 43 et 44; Lindanus, lib. 4 Panopliæ, a cap. 17; Hosius, in confess., a cap. 39; Joannes Arboreus, lib. 5 Theosophiæ; Driedo, lib. 4 de Dogmatib., c. 5, part. 2 et 5; Bellarm., tom. 2. Disputarunt etiam latissime de hoc sacramento Guillelmus Alanus, Turrianus, Claudius de Sanctes, Garétius, et plures alii propriis libris, seu opusculis de Eucharistiæ sacramento, ut omittam Paschasium, Lanfrancum, Algerum, et alios antiquos scriptores, quorum opera in tomo 4 Biblioth. Sanctor. continentur. Prosequitur vero D. Thom. disputationem hanc ab hac q. 73, usque ad 82, cujus methodum et ordinem prosequemur, simul observando nostrarum disputationum ordinem et connexionem, quam in cæteris sacramentis tenuimus. Quoniam vero mysterium hoc simul sacramentum est et sacrificium, universam hanc materiam in duas præcipuas partes distribuendam duximus; in priori de Eucharistia, prout sacramentum est, disputabimus, prius ejus institutionem, necessitatem, naturam et essentiam, partes, proprietates et effectus, deinde præcepta, quæ ad illud pertinent, explicando; in posteriori autem parte de sacrificio Missæ eodem fere ordine tractabimus. Alia, quæ de nominibus, figuris aut prædictionibus sacramenti, in hoc proœmio desiderari possunt, a D. Thom. in articulis attinguntur; superest igitur ut ad eorum explicationem veniamus.

QUÆSTIO LXXIII.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ SECUNDUM SE, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de sacramento Eucharistiæ. Et primo, de ipso sacramento. Secundo, de materia. Tertio, de forma. Quarto, de effectibus. Quinto, de recipientibus hoc sacramentum. Sexto, de ministro. Septimo, de ritu.

Circa primum quæruntur sex.

1. *Utrum Eucharistia sit sacramentum.*
2. *Utrum sit unum, vel plura.*
3. *Utrum sit de necessitate salutis.*
4. *De nominibus ejus.*
5. *De institutione ipsius.*
6. *De figuris ejus.*

ARTICULUS I.

Utrum Eucharistia sit sacramentum (4, d. 8, q. 1, art. 1, quæst. 1).

1. Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Eucharistia non sit sacramentum. Ad idem enim non debent ordinari duo sacramenta, quia unumquodque sacramentum efficax est ad suum effectum producendum. Cum ergo ad perfectionem ordinetur et confirmatio et Eucharistia, ut dicit Dionys. (cap. 2 Eccles. Hierar., ante med., et c. 4, in princ.), videtur Eucharistia non esse sacramentum, cum confirmatio sit sacramentum, ut prius habitum est (q. 65, art. 4, et quæst. præced., art. 1).

2. Præterea, in quolibet sacramento novæ legis, id quod visibiliter subjicitur sensui, efficit invisibilem effectum sacramenti, sicut ablutio aquæ causat et characterem baptismalem et ablutionem spiritualem, sicut supra dictum est (quæst. 62, et 65, art. 2). Sed species panis et vini, quæ subjiciuntur sensui in hoc sacramento, non efficiunt, neque ipsum corpus Christi verum, quod est res et sacramentum, neque corpus mysticum, quod est res tantum in Eucharistia. Ergo videtur, quod Eucharistia non sit sacramentum novæ legis.

3. Præterea, sacramenta novæ legis, habentia materiam, in usu materiæ perficiuntur, sicut baptismus in ablutione, et confirmatio in chrismatis consignatione. Si ergo Eucharistia sit sacramentum, perficeretur in usu materiæ, non in consecratione ipsius materiæ, quod patet esse falsum, quia forma hujus sacramenti sunt verba, quæ in consecratione materiæ dicuntur, ut infra patebit (quæst. 78, art. 1). Ergo Eucharistia non est sacramentum.

Sed contra est, quod in collecta dicitur: Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad penam.

Respondeo dicendum, quod sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali. Vita autem spiritualis vitæ corporali conformatur, eo quod corporalia spiritualium similitudinem gerunt. Manifestum est autem, quod, sicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, et augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitæ, ita etiam requiritur alimentum, quo homo conservatur in vita. Et ideo sicut ad vitam spiritualem oportuit esse baptismum, qui est spiritualis generatio; et confirmationem, quæ est spirituale augmen-

tum; ita oportuit esse sacramentum Eucharistiæ, quod est spirituale alimentum.

Ad 1 ergo dicendum, quod duplex est perfectio. Una, quæ est in ipso homine, ad quam perducitur per augmentum; et talis perfectio competit confirmationi. Alia autem est perfectio, quam homo consequitur ex adjunctione alicujus extrinseci, hominem conservantis, puta, ex adjunctione cibi, vel indumenti, vel alicujus hujusmodi, et talis perfectio competit Eucharistiæ, quæ est spiritualis perfectio.

Ad 2, dicendum, quod aqua baptismi non causat aliquem spiritualem effectum propter ipsam aquam, sed propter virtutem Spiritus Sancti in aqua existentem. Unde Chrysost. dicit super illud Joan. 5: Angelus Domini secundum tempus, etc. (hom. 35, inter princ. et med., tom. 3): In baptizatis non simpliciter aqua operatur; sed cum Spiritus Sancti susceperit gratiam, tunc omnia solvit peccata. Sicut autem se habet virtus Spiritus Sancti ad aquam baptismi, ita se habet corpus Christi verum ad species panis et vini. Unde species panis et vini non efficiunt aliquid, nisi virtute corporis Christi veri.

Ad 3, dicendum, quod sacramentum dicitur ex eo, quod continet aliquid sacrum. Potest autem aliquid esse sacrum dupliciter, scilicet absolute et in ordine ad aliud.

Hæc autem est differentia inter Eucharistiæ et alia sacramenta habentia materiam sensibilem, quod Eucharistia continet aliquid sacrum absolute, scilicet, ipsum Christum; aqua vero baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, scilicet virtutem ad sanctificandum, et eadem ratio est de chrismate et similibus. Et ideo sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materiæ, alia vero sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum.

Ex hoc etiam consequitur alia differentia; nam in sacramento Eucharistiæ id, quod est res et sacramentum, est in ipsa materia; id vero quod est res tantum, est in suscipiente, scilicet gratia, quæ confertur. In baptismo autem utrumque est in suscipiente, scilicet et character, qui est res et sacramentum; et gratia remissionis peccatorum, quæ est res tantum; et eadem ratio est de aliis sacramentis.

COMMENTARIUS.

1. Proportio Eucharist. cum cibo materiali in quo consistat. — Affirmat D. Thom. et ra-

tionem, seu necessitatem vel utilitatem hujus sacramenti sumit ex quadam proportionem inter spiritualem et corporalem vitam, quam supra etiam tetigit q. 65, art. 1, et q. 72, art. 1, quibus in locis breviter explicata est; habet enim nonnullam difficultatem illa proportio, eo quod vita corporalis eodem cibo, et eadem facultate, quibus augetur, nutritur etiam, et conservatur. Unde videtur etiam in spirituali vita ad utrumque effectum idem sufficere sacramentum. Non oportet autem in hujusmodi conjecturis ac proportionibus exactam observare rationem; sed solum illam quæ ad congruentem institutionem explicandam sufficit. Igitur proportio in hoc solum consistit, quod in vita corporali duo inveniuntur: alterum est, ut vivens perducatur ad virilem statum, et robur membrorum acquirat, quod est veluti quoddam complementum imperfectæ generationis. Alterum est, ut vivens seipsum nutriat et conservet, instaurando, et acquirendo quicquid per actionem contrariorum deperditum est; sic igitur in spirituali vita hæc duo necessaria sunt. Intercedit autem differentia quædam; quia in vita corpora idem alimentum est materia nutritionis et augmentationis, et interdum etiam nos a contrariis defendit, vel temperando, vel augendo naturalem calorem, vel nos aliis modis juvando; non efficit tamen alimentum augmentationem nostram, vel nutritionem, sed ab intrinseca facultate viventis hæc proveniunt, quæ pro ratione, et diversitate status seu dispositionis viventis, utrumque modum perficere valet. At vero in vita spirituali illa perfectio, quæ per modum augmenti vel nutritionis datur, ab ipsis sacramentis efficitur, et distinctum donum Dei est, et ad finem valde diversum ordinatur; et ideo alterum est sacramentum, quod per se instituitur ad dandum augmentum, et quasi virilem statum in vita spirituali, complementumque spiritualis regenerationis, et arma ac tesseram spiritualis militiæ; aliud vero est per se institutum ad fovendam et nutriendam hanc spiritualem vitam, qui proprius finis est sacramenti Eucharistiæ. Quæ differentia ex alia manifestatur; nam in corporali vita sicut necessarium est ad nutritionem sæpe uti materiali cibo, ita et ad accretionem. At vero in vita spirituali confirmatio, quæ datur per modum augmenti, uno actu perficitur, unde iterari non potest; hic autem spiritualis cibus sæpius sumendus

est; non ergo necesse est in omnibus servari proportionem ad corporalia. Et hinc intelligitur facile solutio ad 1 D. Thom., quæ alias obscura videri posset. Argumentatur enim fere dicto modo: confirmatio et Eucharistia ad perfectionem spiritualis vitæ ordinantur; non ergo oportuit distingui. Respondet autem duplicem esse vitæ perfectionem: aliam formalem, quæ fit per proprium et intrinsecum augmentum, et ad confirmationem pertinet; aliam veluti extrinsecus advenientem, quæ fit per adjunctionem alicujus extrinseci, ut cibi aut vestimenti, et hujusmodi esse dicit perfectionem, quam Eucharistia tribuit; quæ doctrina est obscura, sensus vero est, in vita corporali esse quandam perfectionem intrinsecam, ut est robur vel augmentum corporis; aliam vero esse extrinsecam, quæ nobis adjungitur ex eo solum quod res aliqua nobis admovetur, ut nos foveat seu creetur, cujusmodi est vestimentum, etc. Comparat autem D. Thom. sacramentum confirmationis priori perfectioni, quia confert virilem statum fidei et gratiæ, et spirituale robur ad resistendum contrariis; Eucharistiam vero posteriori perfectioni, quia per se ordinatur, ut nos Christo conjungat, ut ab eo protegatur et foveatur, quanquam ipse Christus, qui nobis conjungitur, propter eximiam virtutem suam non solum extrinsece nos defendat, sed etiam intrinsece nos perficiat et nutriat, quæ nutritio quia sine contraria diminutione fit, in augmentum transit, et magnum etiam robur confert. Et ad hunc modum intelligendum est, quod idem D. Thom. supra, q. 65, art. 1, ad 2, et art. 3, dixerat, confirmationem per se ordinari ad formalem perfectionem virtutis; Eucharistiam vero ad perfectionem, seu consecutionem finis; et eodem sensu dixit in 4, d. 8, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 1; ad 4, sacramentum confirmationis perficere hominem in ordine ad operationem spiritualis vitæ, quæ est fidei et virtutis professio, Eucharistiam vero in ordine ad conjunctionem cum Christo, qui est fons omnis boni.

2. In solutione ad 2, attingit D. Thom. gravem questionem, quomodo species consecratæ efficiant sacramentalem effectum; quam infra suo loco commodius disputabimus. In solutione vero ad 3 explicat nonnullas differentias inter hoc sacramentum et cætera, quas in sequentibus disputationibus latius tractaturi sumus.

ARTICULUS II.

Utrum hoc sacramentum sit unum vel plura (infra, quæst. 78, art. 6, ad 2. Et 4, dist. 8, quæst. 1, art. 1, quæst. 2).

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod in Eucharistia non sit unum sacramentum, sed plura. Dicitur enim in collecta: Purificent nos Domine sacramenta, quæ sumpsimus, quod quidem dicitur propter Eucharistiæ susceptionem. Ergo Eucharistia non est unum sacramentum, sed plura.

2. Præterea, impossibile est, multiplicato genere, non multiplicari speciem, sicut quod unus homo sit plura animalia. Sed signum est genus sacramenti, ut supra dictum est (q. 60, art. 1). Cum igitur in Eucharistia sint plura signa, scilicet panis et vinum, videtur consequens esse, quod sint plura sacramenta.

3. Præterea, hoc sacramentum conficitur in consecratione materiæ, sicut dictum est (art. præc.). Sed in hoc sacramento est duplex materiæ consecratio. Ergo et duplex sacramentum.

Sed contra est, quod Apostolus dicit 1 Cor. 10: Unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus; ex quo patet, quod Eucharistia est sacramentum ecclesiasticæ unitatis. Sed sacramentum similitudinem gerit rei, cujus est sacramentum. Ergo Eucharistia est unum sacramentum.

Respondeo dicendum, quod sicut dicitur 5 Met. (a tex. 9 usque ad 12, tom. 3), unum dicitur, non solum, quod est indivisibile, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum; sicut dicitur una domus et unus homo. Est autem unum in perfectione, ad cujus integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem ejusdem; sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animæ; et domus integratur ex omnibus partibus, quæ sunt necessariæ ad inhabitandum; et sic hoc sacramentum dicitur unum; ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum, et potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem hujus sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus et spiritualis potus, secundum illud Joan. 6: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter et perfective.

Ad 1 ergo dicendum, quod in eadem collecta et pluraliter dicitur primo: Purificent nos sacramenta, quæ sumpsimus; et postea singulariter subditur: Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam; ad ostendendum, quod hoc sacramentum quodammodo est multa, simpliciter autem unum.

Ad 2, dicendum, quod panis et vinum materialiter quidem sunt plura signa; formaliter vero et perfective unum, in quantum ex eis perficitur una refectionio.

Ad 3, dicendum, quod ex hoc, quod est duplex consecratio materiæ hujus sacramenti, non potest plus haberi, nisi, quod hoc sacramentum materialiter est multa, ut dictum est (in corp.).

Respondet, hoc sacramentum esse multa materialiter, unum vero formaliter ac perfective. Sensus D. Thom. est, simpliciter esse unum sacramentum, ex variis rebus compositum ac perfectum, ut jam latius dicemus.

DISPUTATIO XXXIX,

PRIMA DE EUCHARISTIA.

DE INSTITUTIONE SACRAMENTI EUCHARISTIE.

Hæc disputatio continet, an sit hoc sacramentum, nam quia esse sacramenti ab institutione manat, idem est sacramenti institutionem, ac existentiam, investigare; simul vero de unitate hujus sacramenti dicemus; nam quia unum consequitur ens, et vix ab illo distinguitur, ideo quæstionem de unitate et multitudine ad quæstionem, an est, semper revocamus.

SECTIO I.

Utrum Eucharistia sit sacramentum a Christo Domino institutum.

1. Eucharistia est sacramentum sub speciebus panis et vini institutum. — Eucharistiæ nomine intelligimus, sacramentum quoddam sub speciebus panis et vini institutum, in quo secundum veram fidem Christus continetur, et a fidelibus sumitur, quæ vocis significatio necessario supponenda est, ut possit disputatio procedere, et res ipsa investigari, et ostendi. Hujus autem sacramenti præcipuum mysterium in reali præsentia corporis et sanguinis Christi, et mirabili transmutatione unius substantiæ in aliam, consistit. Unde primum

omnium inquirendum videbatur, an hoc mysterium verum sit, et quale, et quomodo fiat; sed hæc tractantur a D. Thom. inferius commodiori loco, quæst. 75; pertinent enim hæc ad propriam essentiam, materialem partem hujus sacramenti explicandam; hic vero solum generatim agimus de institutione sacramenti sensibilis, quod per modum cibi et potus in nova lege institutum est ad spiritualem vitam nutriendam, et hoc vocamus Eucharistiam.

2. Archontici et Messaliani hæretici. — Petrobrusiani hæretici. — Bogomili hæretici. — Ex antiquis ergo hæreticis quidam Archontici altaris mysterium omnino negarunt, ut Epiph. refert hæresi 40, idemque fere de Messalianis refert Theodor., lib. 4 Histor., cap. 40, illi enim Eucharistiam nullius utilitatis esse dicebant. Petrobrusiani vero dixerunt, licet Christus hæc mysteria celebraverit, non vero dedisse aliis eam potestatem; atque adeo nec sacramentum perpetuo in Ecclesia duraturum instituisse. Ita refert Petrus Clunia. in epist. quadam contra hanc hæresim. Denique Bogomili aiebant, Eucharistiam nihil esse, præter orationem dominicam et Evangelium, unde sacramentum evertebant, ut constat ex Euthym. in Panoplia, 2 part., tit. 27, c. 17; hæc autem hæreses et Evangelio aperte repugnant, et nullum apparens habuere fundamentum, unde antiquatæ prorsus sunt.

3. Prima conclusio. — Dicendum ergo est primo, conveniens fuisse in nova lege institui sacramentum aliquod sensibile, ut esset spiritualis cibus animarum. Conclusio est de fide ut ex facto ipso constat Joan. 6, Matth. 26, Marci 14, Luc. 22, et ex Trident., sess. 7, can. 5, ubi numerat omnia sacramenta a Christo Domino convenientissima ratione instituta, et in specie de hoc sacramento, sess. 13, cap. 1 et 2. Ratio seu congruentia a D. Thom. hoc loco satis explicata est, ut vidimus. Est enim lex Evangelica perfectissima, et plenitudinem gratiæ in se continens; et ideo conveniens fuit, ut hujus legis sacramenta, a Christo ejus auctore instituta, augmentum et conservationem gratiæ possent conferre modis omnibus, vel necessariis, vel humanæ fragilitati aecommodatis; ex quibus mus, ac præcipuus est ut per modum cibi et potus spiritualis homines nutriri possent, et ab innumeris periculis, quibus in hac mortali vita subditi sunt, defendi. Possunt præterea hic addi omnes congruentiæ, quas ad persuas-

dendam realem Christi præsentiam infra suo loco afferemus. Nunc illa sufficiat, Christum Dominum esse animarum cibum, et ideo maxime decuisse, ut sicut cibus refecit corpus media quadam reali unione cum ipso vivente, ita Christus in quodam sacramento præsens adesset, ut, per modum cibi et potus nobis realiter conjunctus, nos spiritualiter reficeret.

4. Dico secundo, hujusmodi sacramentum esse Eucharistiam, quæ propterea verum, ac proprium sacramentum est a Christo institutum. Conclusio est de fide, quam non solum Catholici, sed etiam novi hæretici amplectuntur; nam etiam Lutherani et Calvinistæ, qui unum, vel ad summum, duo sacramenta, admittunt, primum ac præcipuum locum Eucharistiæ tribuunt. Probatur ergo conclusio, primo ex Scriptura, quæ, licet non eisdem verbis, rem tamen ipsam satis aperte docet; Matth. 26, Luc. 22, continetur visibilis cæremonia, et significatio, et præceptum Christi: Hoc facite in meam commemorationem; et Joan. 6, continetur gratiæ promissio: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Et confirmari hoc posset ex veteri testamento, in quo variis figuris et metaphoris sacramentum hoc indicatum ac promissum est, ut circa art. 6 D. Thom. videbimus.

5. Secundo definita est hæc conclusio in Conc. Florent., in litteris unionis; Trident., sess. 7, 13 et 21; Lateran. quod habetur in c. Firmiter; Carthag. III, c. 28 et 29, c. Cum Marthæ, de Celebr. missar., cap. In sacramentorum, cap. In sacramento, de Consecr., dist. 2. Tertio tradunt Patres omnes, qui late citantur dicta dist. 2, de Consecr., et referimus plures in disputationibus sequentibus; nunc sufficiant Dionys., cap. 3 de Eccles. Hier.; August., epist. 23 et 48; Ambros., lib. 5 de Sacramento; Damasc., lib. 4, c. 14. Quarto ratio sumenda est ex definitione sacramenti novæ legis; est enim sacræ rei signum, ad sanctificandum hominem institutum, quæ tota definitio apertissime in Eucharistiam convenit, ut per se facile est, et ex dicendis evidentius patebit. Et ex his patet ultima conclusionis pars, scilicet, solum Christum fuisse hujus institutionis auctorem, tum generali ratione omnium sacramentorum novæ legis; tum etiam ratione propria, quia nullis potuit habere potestatem supra corpus et sanguinem Christi, nisi ab ipsomet Christo derivatam; nec potuit ullus nisi Christus novum testamentum fundare, et proprio sanguine confirmare ac consecrare; et quamvis